



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XLI. De eo, si quis duxerit vxorem, & concumbere non valens cum ea,  
frater eius clam violauerit illam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
895.

parandi, impleant dictum Apostoli, vt vnanimis Philipp. 2.  
vnum sentientes permaneant in Christo Iesu Do-  
mino nostro. Nos autem cognita referimus, quia  
quemdam Francum & mulierem Saxoniam talia  
egisse cognouimus. Si quis post hæc, huius sancti  
Concilii institutionem paruipendens, aliam duxe-  
rit, cuiuscumque gentis sit, canonice arceatur, vt  
priori cum pœnitentia copuletur.

## XL.

Audiuimus rem execrabilem, & catholicis om-  
nibus detestandam, quemdam nefario fornica-  
tionis opere alicuius vxorem, viuente eo, commu-  
culasse: & in augmentum iniquitatis, iuramento  
confirmasse, si eius legitimum superuixissent ambo  
maritum, vt ille fornicator illam adulteram adul-  
terio pollutam sibi associaret toro & legitimo ma-  
trimonio, si hoc iure dici matrimonium potest,  
per quod oriuntur quæ Apostolus enumerat ma- Rom. 1.  
la, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, &c.  
ad vltimum vero, veneficia & homicidia, quia pro  
tam illicito amore, alii veneno, alii gladio, vel aliis  
diuersis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo  
ferro, & totius generis artificio ressecanda, per quæ  
cælestia regna sunt occludenda. Quoniam vt idem  
Apostolus ait, *qui talia agunt, regnum Dei non conse-* 1. Cor. 6.  
*quentur.* Tale igitur connubium anathematizamus,  
& Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo  
nec Christianæ religioni oportet, vt vllus ea vtatur  
in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulte-  
rio.

## XLI.

Si quis legitimam duxerit vxorem, & impediens

*Concil. Tom. 24.*

PPPP

te quacumque domestica infirmitate, vxorium opus non valens implere cum illa: frater vero eius, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliauerit, & violatam reddiderit, omnimodo separentur, & a neutro vltius eadem mulier contingatur. Igitur coniugium, quod erat legitimū, fraterna commaculatione est pollutum: & quod erat licitum, illicitum est factum: & vt Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat torum: si autem ascendit, adulteriū perpetrabit. Quia vero humana fragilitas procliuis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcirco episcopus considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur \* matrimo-<sup>co</sup> nio: ne, dum sperantur ad alta subleuari, corruant in cœnum.

XLII.

Si quis de vno in alium omnino transmigrat episcopatum, & si, quod absit, contingat eum filiam sororis suæ, amitæ aut materteræ, auunculi vel patruī polluere, aut aliquod crimen committere, episcopus, in cuius tunc diœcesi commoratur, & tali scelere criminatur, habeat ius & potestatem, secundum canonicam auctoritatem, & nostram synodalem institutionem, flagitiosum coercere, & ad pœnitendum emollire. Per quos enim melius rei veritas ventilatur & emendatur, quam per hos, inter quos habitat, & criminofus apparet?

XLIII.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius eius vel frater eiusdem rei inscius,